

subter ipsum terræ gravissimum elementum depressam, indeque haut rarò disruptis carceribus, non per Vesuvios, Ætnas, Heclastantum in Europa nostra, sed per ignivomos ejusmodi crateres in Africa non paucos, in America complures, in Asiatica India, China, Japonia, quamplurimos, enixam audit vel attonitus ipse videt. In ipsis hisce subterraneorum ignium eruptionibus &, qui comitari eas plerumque solent, terræ tremoribus motibusq;, quot & quanta naturæ miracula stupendaque Phœnomena occurrunt, quæ nunc enarrare nimis longum foret? Ipsa porrò ignis essentia, proprietates, effectûs, accidentia, generatio, conservatio, interitus & extinctio, quàm varia ac tantùm non incomprehensibilia objiciunt inquirenda Naturæ scrutatoribus? Quod si jam abscondita sub eadem terræ crusta mineralium metallorum gemmarum, pretiosiorumq; & viliorum lapidum ac cœterorum fossilium genera omnia recensere; si, quæ supra istam inambulant aut repunt, quæque in aquis natant ac per aërem vagantur, animalium historiam contexere; si, quæ circa singulorum generum innumeras ferè species, generationem, interitum, nutritionem, sensûs, motûs &c. accuratiùs indaganda, circa eorundem proprietatum & accidentium porrò inenarrabilium absconditas etiam causas inquirenda, supersint, vel obiter indicare vellemus; omnis ille præsentis instituto destinatarum pagellarum numerus haut quaquam sufficeret. In unico hominis corpusculo adeò multa detexit à paucis annis Anatomicorum Physicorumq; recentiorum industria, ut non immeritò, quam anno abhinc quinto *Clarissimus Bartholinus* denuò edidit, *Anatomiam quartum Renovatam* indigitaverit, paulò post iterum renovandam dubio procul, & loco non uno corrigendam. Ecquis inde non æstimet ex facili inæstimabilem inveniendorum subinde, ac detegendorum multitudinem per universam istam ad quam modo digitum intendimus

mus